




16



11. 11. 17

794 ²
gr.



A
A
A
A
A
A
A
C
C
C
C
C
C
C
C
C
C
H
D
T
Y
H
H
H

45

182

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
DIABETE, ET LUXA-
TIONE FEMORIS,
LABORANTIUM.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI,

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Professoris Ordinarii, ac Philosophi

eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

ARNOLDUS WILS, Ultrajectinus.

Ad diem 8. Novemb. horâ nonâ matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS *Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdyck,*

clō. lō. c. lī.



Spectatissimis, ac Conspicuis Viris,

D. BALDUINO CORTENHOEFF,
Inclytæ Urbis Amstelredamenfis Secretario, Tu-
tori meo, nunquam non venerando.

D. HENRICO MESMAECKER,
J U. D. ac in Curia Provinciali Ultraje-
ctina Advocato.

D. THEODORO POOLSUM.

U T E T

Præstantissimis Viris-juvenibus,

D. GULIELMO VAN CLEEF.

D. EGBERTO VAN CLEEF.

N E C N O N

Gravissimo, multaque experientia celeberrimo Viro,

D. HENRICO REGIO,
Reip. Ultrajectinæ Medico, ac in almo ejusdem
Athenæo Medicinæ, Botanices, ac Anatomes Pro-
fessori celeberrimo, Philosopho acutissimo, de stu-
diis meis, quâ publicè, quâ privatim, optimè Me-
rito, & etiamnum Merenti.

*Hoc exercitium Academicum, tanquam grati
animi τεκμήριον,*

D. D. D.

ARNOLDUS WILS.

Cogna-
tis omni
honore,
quoad
vivam,
colen-
dis.

M E D I C A T I O F O E M I N Æ
 D I A B E T E
 A F F L I C T Æ.

I. **F**œmina sexaginta annos nata, temperamento biliosa, calidis alimentis frequenter uti solita, jam ab aliquot diebus urinam magnâ copiâ ita excernit, ut omnem potum ingestum protinus per urinas emittat, eumque crudum, ac à natura vix concoctum. Adest magna sitis, item calor, dolor & punctio circa lumbos, corporisque totius macilentia.

2. Afficiuntur in hac ægra renes, quod ex copiosa illa urinæ excretionem, item ex calore, dolore, & punctione circa lumbos percepta, est manifestum. Afficitur item cor, quod ex magno illo calore: nec non totum corpus, quod ex totius corporis macilentia patet.

3. *Morbus*, quo ægra affligitur, est intemperies renum calida & rara, quæ serum sanguinis, nimis copiosè separatum, per poros eorum perpetuò magnâ copiâ transmittens, urinæque evacuationem nimis copiosam efficiens, *diabetes* appellatur.

4. *Causa procatartica* hujus morbi est diutinus ille calidorum alimentorum usus: unde multi humores calidi & acres ac serosi in corpore geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Illi verò in corde existentes & deinde ad renes delati, ibique intemperiem eorum calidam & nimis raram inducentes, *continens*, hujus morbi & symptomatum sunt causa.

5. Hinc enim cor nimis incaluit, & pori renum nimis sunt aperti, sanguinisque partes crassiores arctius vi caloris unitæ, ac serosæ à reliquo sanguine nimium separatæ & acriores factæ, jam à fervido corde vehementius in omnes corporis partes, ac proinde etiam in renum poros nimis hic laxatos, perpetuò propelluntur; eæque ipsos dolore circa lumbos afficiunt, immoderatamque hanc producunt urinæ crudæ, utpote, ob celerem ejus

transitum, satis concoqui nequeuntis, evacuationem, ex eaque ingens corporis exsiccatio, & inde sitis, calor, & totius corporis macilentia originem ducunt.

6. *Morbus* hic periculosissimus est, primò propter ægræ nostræ senectutem, & deinde propter macilentiam jam indutam: & præterea quod hæc sit tam vehemens non tantum excrementitiarum, sed etiam utilium partium, perpetua evacuatio; unde metus est ne vires brevi penitus prosternantur, ægræque cito extinguatur.

7. *Curatio* itaque serio est auspicanda: eaque in causæ antecedentis & continentis, ac intemperiei per contraria ablatione, & symptomatum mitigatione & sufflamine consistet.

8. Primò itaque præscribatur medicamen tale purgans:

Rx. pulpa cassia recent. extracta ℥v.

tamarindor. ℥ij.

rabarbari pulveri. ℥ß.

Cum syr. rosar. q. s. f. bolus, mane deglutiendus, vel cum iusculo exhibendus.

Et porro frequenter utatur de sequenti apozemate:

Rx. rad: borrag. buglossæ an ℥jß.

plantag. ℥j.

fol. portulacæ. plantaginis, violariæ. an m. j.

sem. plantag., portulacæ. an ℥ij.

flor. borrag. violarum, nymphæ, buglossæ an p. j.

myrobalanor. citrin. ℥vj.

Coq. in aqu. comm. qu. suf. ad lib. jß. Colatura adde s, r. ros. ex infus. multipl. ℥ij.

M. F. Apozema.

Atque etiam subinde sumat de sequenti electuario quantitate castanæ majoris:

Rx. conserva flor. buglossæ, mivæ cydonior. an. ℥j.

gummi tragacanthi in aq. ros. dissol. ℥ij.

sanguinis draconis, boli armeni an. ℥ijß.

Cum syr. de papavere. q. s. F. electuarium.


Lumbi

Lumbi & spina ab ultimis costis mane & vesperi inungantur sequenti unguento :

- Rx. unguenti rosacei , populei an ʒvj.
- camphoræ ʒj.
- ol. rosar. , cydoniorum an. ʒvj.
- cera & aceti parum ,
- F. unguentum.

9. In victus ratione aër ad frigidum & humidum declinet. Cibus sit euchymus , & qui crassum succum gignat , ac acrimoniam humorum temperet, ex lacte annigdalato, ovis forbilibus, piscibus saxatilibus , carne bubula , pomis, pyris , oryza , caseo recenti , intybo , lactuca , portulaca. Abstineat à diureticis & acribus. Potus sit vinum adstringens. Abstineat ab exercitiis : contineat se in quiete. Somnus sit consueto longior. Alvi excrementa arte vel naturâ respondeant. Fugiat vehementiores animi affectus.

M E D I C A T I O S E N I S
L U X A T I O N E F E M O R I S
L A B O R A N T I S.

1.  Enex sexagenarius, imprudens domo in plateam lubricam egrediens, natibus in terram lapidibus stratam vehementi impetu lapsus est; atque hinc tumorem habet durum circa dextram & exteriorem ossis coxendicis partem. Crus sinistrum dextro est longius. Femur dextrum movere nequit. Tam vehementem patitur dolorem, ut ejulatibus totam domum repleat.

2. Pars, quæ præcipue in hoc ægro afficitur, est femur dextrum; quod ex ejus brevitæte, tumore, dolore, & motu impedito patet.

3. Morbus, qui ipsum torquet, est luxatio, qua os femoris dextri

B 3



dextri ex acetabulo suo deturbatum, versus superiora ascendit.

4. Eaque ex tumore, circa externam & superiorem ossis coxendicis dextri partem existente; item ex cruris dextri brevitatem, est manifesta.

5. Causa hujus morbi externa est vehemens ille lapsus, natibus in duram terram magno impetu factus; quo os femoris, ex acetabulo versus superiora propulsum, facit illum tumorem, & cruris dextri brevitatem: premens verò ibidem nervos, partesque alias acuto sensu præditas, ingentem illum dolorem excitat.

6. Luxatio hæc difficulter poterit restitui, propter validos musculos, qui locum affectum circumstant; & difficulter, propter ligamenti capitis femoris relaxationem, in loco suo, ubi restitutio fuerit facta, poterit retineri. Affulget tamen haud parva spes curationis, quia affectus est recens. Claudicatio autem vix evitari poterit.

7. Curatio peragetur chirurgica extensione, pressione, & retentione.

8. Primò itaque fasciis, in scamno Hippocratis rectè adhibitis, femur versus inferiora trahatur; & deinde premendo in acetabulum reducatur; ubi reductum fuerit, medicamenta sunt adhibenda, quæ inflammationem prohibent, dolorem sedant, & ligamenta laxata constringunt: & porro fasciis laborandum, ut femur in loco suo retineatur.

COROL-

Corollaria Respondentis.

I.

Spiritus fluunt in Cor, per nervos.

II.

Venae valvulas habent.

III.

Datur sanguinis circulatio.

IV.

Sanguis non ingreditur cor, per arterias.

V.

Chylus ventriculum non nutrit.

VI.

Morbus est vel intemperies, vel prava conformatio.

VII.

Omnis potus intro assumptus, & per urethram expellendus, per cor transire debet.

VIII.

Succus acris, famem faciens, à corde per arterias in ventriculum propellitur.

IX.

Frequens usurpatio spiritûs vini ascitem gignere potest.

X.

Cito iter facientibus conducit potus calidus & generosus.

XI.

Semen virile etiam, tanquam materia, requiritur ad conceptionem fœtus.

XII.



XII.

Inflammatiō membranæ, pulmonem investientis, pleuritis dici potest.

XIII.

Fœminæ facilius abortiunt secundo, tertio, vel quarto mense, quàm quinto, sexto, vel septimo.

XIIII.

Fœtus in utero nutritur etiam liquoribus ore haustis.

XV.

Sanguis rectè inter partes corporis numeratur.

XVI.

Semen animalium non est liquor similis; sed dissimilis, ut lac & vinum.

XVII.

Morbus, à morbo perseverante ortus, & symptoma, & morbus secundarius, est dicendus.

XVIII.

In ventriculis cerebri & spiritus & excrementa pituitosa generantur, ut in hepate gignitur & chymus & bilis.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





45

com. ʒj.
 mati pulveris. ʒij.
 tum.
 scara separanda est appposito em-
 III.
 atur corruptela, igne utendum.
 nte, pedes erunt exscindendi : ex
 ex fallopii in parte mortua, in
 post sectionem cauteriis actuali-
 orem cauteriorum sentiat.
 X.

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
DIABETE, ET LUXA-
TIONE FEMORIS,
 LABORANTIUM.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI CLARISSIMI,

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
 Professoris Ordinarii, ac Philosophi
 eximii,

Publice disquisitioni exhibet

ARNOLDUS WILS, Ultrajectinus.

Ad diem 8. Novemb. horâ nonâ matutinâ.



MINERVA TRAJECTINA

TRAJECTI AD RHENUM,
 TYPIS Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdijck,

clō. lō. c. LI.

